

10

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*10*

1283 marzo 10, Ind. XI, Matera

† In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno dominice incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo tertio. Regnante ... Karulo, Dei gratia ... rege Ierusalem, Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, alme urbis senatore, principe Achaye, Andegavie, Provincie, Forcalcherii et Tornodori comite, regnorum suorum Ierusalem anno septimo, Sicilie vero octavo decimo, mense martii, decimo eiusdem, indictionis undecime.

Sedente me Matheo de sire Heustasio, regali Matere iudice, in regia curia eiusdem terre pro questionibus litigantium finiendis, consedentibus mecum Nicolao de Iohannocto, baiulo Matere, Iacobo, puplico eiusdem terre notario, Iohanne de iudice Iacobo, notario Symeone, Petro de Berardo, notario Mannario et aliis eiusdem terre civibus, veniens in nostrum et predictorum presentia Maiora, mulier, relicta quondam Guillelmi de Pascarosa, de eadem terra, una cum Symeone de Mathia a se mundualdo electo et a me predicto iudice confirmato, in absentia sui legitimi mundualdi, exposuit quod quidam contractus matrimonii habiti inter ipsam ex parte una, et dictum Guillelmum, ex altera, celebratus fuit coram notario Iohannocto, tunc temporis publici Matere notarii, et quod idem Guillelmus vir suus constituit eidem uxori sue et dedit ei in dodarium medietatem omnium bonorum eiusdem viri sui ... Et licet idem notarius de predicto contractu dodarii de communi partium voluntate scripsisset abbreviaturam, tamen priusquam exinde instrumentum publicum inscripsisset, ab hac vita subtractus est. Unde eadem mulier rogavit nos ut in scriptis actis eiusdem notarii Iohannocti et abbreviatura de predicto contractu ... scripta de manu sua, iuxta tenorem

ipsius imbreviature in modum reconciliationis scriptum sibi publicum fieri faceremus, ut ius dicte mulieris pro morte ipsius notarii non periret, eo modo et forma et omni sollempnitate et auctoritate interpositis, sicut hodie fit et olim fieri consuevit in huiusmodi contractibus per alios notarios in Matera et ut idem notarius Iohannoctus facere tenebatur. Nos autem videntes preces eius iustitie consonare et abbreviatura ipsa que sita in actis eiusdem notarii Iohannocti et per nos inventa, quam legimus et cognovimus quod scripta erat per manus eiusdem notarii Iohannocti et non erat abolita, non abrasa, non cancellata nec parte sui aliqua vitiata, set in prima sui figura existens carens corruptione aliqua et litura, cognito etiam quod dictus notarius Iohannoctus probus et legalis homo fuit dum vixit et numquam in eo falsitatis causa seu suspicionis nota aliqua fuit inventa; interveniente etiam et examinato iudice Grisanto et notario Francisco, qui in eodem contractu pro iudice et testibus interfuerunt, super tenorem ipsius abbreviature, qui coram nobis etiam corporale ad sancta Dei evangelia sacramentum prestiterunt, et invento quod rei veritas sic se habuit, sicut eadem abbreviatura dicit et ut eadem mulier exposuit coram nobis, auctoritate regie curie Matere mandavimus predicto Iacobo, qui una nobiscum et predictis aliis presens erat, ut de eodem contractu dodarii in predicta abbreviatura contenti ... in novum reconciliationis ad eiusdem mulieris cautelam scribere instrumentum eo modo et forma et omni sollempnitate et auctoritate interpositis, sicut hodie fit et olim fieri consuevit in huiusmodi contractibus per alios notarios in Matera et ut idem notarius Iohannoctus facere tenebatur. Sic ego predictus Iacobus ... de eodem contractu ... curavi fideliter scribere instrumentum:

In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno dominice incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo quinto. Regnante domino nostro Maynfredo, Dei gratia excellentissimo rege Sicilie, anno regni eius octavo, die sabati, vicesimo quinto aprelis indictionis octave. Ego Guillelmus cognomine de Pascarosa, civis Matere, in presentia Grisantis regalis Matere iudicis, notarii Francisci et aliorum proborum virorum civitatis eiusdem declaro quoniam dum in Dei omnipotentis nomine te quidem mulierem nomine Maioram, filiam quondam Leonis Musse, in meo legitimo sociarem coniugio, secundum quod inter nos stetit osten [do ac] trado tibi hoc presens scriptum, videlicet dodarium, continens medietatem omnium verum mearum stabiliium et mobilium seseque moventium, tam quas nunc habeo, quam et quas in antea acquirere potuero cunctis diebus vite tue: ea, videlicet, ratione, ut ipsa medietas bonorum ipsorum in tuo et tuorum heredum sit dominio et potestate ad faciendum de ea et in ea quicquid tibi, tuisque heredibus placuerit sine mea meorumque heredum ac omnium hominum molestia et requisitione. Et hoc dodarium scriptum prescripta ratione firmum semper persistat.

Quod quidem reconciliationis contractum scripsi ego predictus Iacobus puplicus Matere notarius, eo quod predictae reconciliationi de mandato predicti iudicis interfui et meo solito signo signavi, predicti iudicis et testium ac alterius iudicis et testis qui in predicto contractu olim interfuerunt subscriptionibus roboratum

† Macteus de sire Heustasio regalis Matere iudex

† Grisantis regalis tunc temporis Matere iudex

S Symeon puplicus Matere notarius qui supra

† Ego Iohannes iudicis Iacobi qui supra

† Ego Petrus de Birardo qui supra

S Ego notarius Franciscus qui supra